



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis Universa**

Ad Mentem Præcipuorum Theologorum & Canonistarum, insertis suo loco  
Propositionibus à S. Sede Apostolica novissimè damnatis concinnata. Et  
Per Casus Practicos exposita

Complectens LXXV. Casus Materiam de Conscientia, Legibus, Peccatis,  
Fide, Spe, Charitate, Jure, Justitia, Restitutione, Contractibus, Judiciis &  
Religione &c.

**Jansen, Leonhard**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Casus LIX. De sponsione & ludo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39867**



## CASUS LIX.

### De sponsione & ludo.

**M**Ævius ludit cum filiis familias, Religiosis. 1. 2. Qui vel non habent licentiam, vel tantum habent licentiam exponendi tres florenos, cum tamen exponant triginta, quos erant lucrati. 3. Ludit cum damno liberorum. 4. Apponit pecuniam adulterinam, furtivam vel saltem suspectam de furto. 5. Alium ludere cogit. 6. Charti-folia notat, abscondit, vel ita disponit specula, ut alterius folia videre possit, fingit se imperitum. 7. Et si sit altero multo peritior. 8. Certus, Titiam nunquam nupturam esse certat cum pluribus, quod eam non sint habituri in uxorem, addens, se de hoc esse certum. 8. 9. Ludit lusu prohibito. 10. Quod inde lucratur, retinet; quod verò perdit, non solvit, vel solutum repetit. 11. Imò ludit animo non solvendi vel opponendi exceptionem legis. 12. Lucrum ex lusu prohibito perceptum reddere renuit, negatque, se tali lusu lusisse. 13. Aliis in lusu blasphemare solitis colludit, & alias subministrat Principe connivente. 14. Ludit in loco sacro, pecuniam erga preces & Missas exponit. 15. Pro Resolut.

QUÆR. I. Quid sit sponsio, & ludus?

**R.** Sponsio est contractus, quo duo vel plures de veritate alicujus rei incertæ sibi invicem aliquid spondent, ut ejus sit, qui veritatem fuerit assecutus.

Sponsioni affinis est ludus, qui definitur: Certamen quoddam ob animi oblectationem susceptum eâ conditione, ut res ab utroque exposita victori cedat.

Cer-



Certum est, hos contractus secundum se esse licitos, & spectare ad virtutem eutrapeliæ seu affabilitatis pro recreando animo, dummodò extrinsecùs à periculo blasphemix, perjurii, rixarum, furti, scandali, &c. non vitientur, & adsint sequentes conditiones:

Prima conditio est, ut ludens possit alienare rem, quam lusui exponit, hinc

1. Filius-familias ex bonis patris sine licentia saltem tacita ejusdem, Religiosus sine licentia Superioris non possunt pecuniam lusui exponere, ideoque nec perdere, nec lucrari. Ratio est, quòd invito domino exponerent pecuniam alienam, cujus collusor non potest fieri dominus; ergò nec ipsi poterunt justè acquirere pecuniam collusoris, aliàs enim conditio esset inæqualis. Quòd si collusor sciat, filium vel Religiosum non habere licentiam, & tamen cum iis ludat & perdat, Religiosus, & filius-familias non tenebitur ad restitutionem, quia scienti & volenti non fit injuria, *Tamb. Spor. t. 6. c. 6. §. 3.* Dixi, sine licentia saltem tacita; nam sæpè Superiores non sunt inviti, ut Religiosi ex pecuniis ad honestam v. g. recreationem concessis modicum quid in lusum, qui statum non dedecet, impendant; idem à potiori tenet in filiis-familias, quorum patres minùs sunt inviti, præsertim si sint divites, benigni, liberales. Vide dicta *Casu 31. à num. 3.* Sed quid si Religiosus aut filius-familias habeat licentiam in lusum exponendi tres florenos, si cum iis lucratur triginta, an possit sine nova licentia exponere triginta tres? &c. Continuante eodem lusum potest, quia lucrum non censetur plenè acquisitum ante finem lusùs; lusum finito Reli-



giosus non poterit omnes sine nova licentia exponere, *Laym. hinc n. 6.*

4. 2. Uxor si non habeat bona paraphernalia vel alia propria, non potest plus exponere, quam maritus tacite, vel expresse concedit; tacite autem censetur concedere, quantum ejusdem conditionis fœminis concedi solet.

3. Maritus invitâ uxore ludens non peccat contra justitiam, sæpè tamen contra charitatem, si obinde damnum notabile patiatur familia, at tamen qui à marito lucratur non tenetur ad restitutionem, quia maritus ista validè exponit, et si illicite.

5. 4. Qui in lusu apponit monetam adulteram, tenetur restituere, quod lucratur, nisi voluerit substituere aliam, casu quo perderet.

5. Qui lucratur rem, vel pecuniam furtivam à fure non mixtam suæ indiscernibiliter, tenetur eam restituere domino; in dubio an pecuniæ sint furtivæ, præsumuntur non esse, quia delicta non præsumuntur. Qui bonâ fide non ipsam rem, sed pretium rei furtivæ à fure venditæ lucratur, potest retinere, quia fur erat dominus hujus pretii, ex *l. si vias 48. ff. de furtis, V. dicta 55. num. 12.* Si verò scienter ludat cum fure, qui aliunde pro furto satisfacere non potest, tenetur restituere non ex re accepta, sed ex injusta acceptione, quia per lulum est causa, quòd fur fiat inhabilis. Si bonâ fide processit, *Tamb. Spor. num. 76. La Croix. l. 3. p. 2. num. 1078.* adhuc obligant ad restituendum lucrum; sed contrà est: nam I. fatentur, furem habere verum dominium pretii pro re furtiva accepti, ergo illud validè exponit ad lulum, sicut validè exponit ad emendum triticum; aliàs enim vendens bonâ fide

tri-



triticum teneretur pretium furtivum restituere, etiamsi fur triticum consumpsisset, quod nemo dicit. 2. Si fur pecunias furtivas suis indiscernibiliter miscuerit, quamvis alias non habeat, validè eas exponit ludo, & collusor, qui eas bonâ fide lucratur, potest eas retinere; non enim tenetur eas restituere ex re accepta, quia fur erat eorum dominus, ideóque eorum dominium alteri validè tradere potuit; neque tenetur ex injusta acceptatione, quia bonâ fide processit, ut supponitur. 3. Qui ex mutuo creditori debet 100. etsi non habeat nisi decem, tamen eos valide exponit; ergo quamvis fur ex justitia pretium furtivum debeat domino, si aliundè satisfacere non possit, tamen illud validè poterit alienare, quia est dominus pretii.

Conditio secunda: Ut nemo injusto metu, vi, 6. vel fraude cogatur ludere; qui enim injustè cogit ludere, si alter in lusu perdat, cogens probabiliter tenetur ad omne damnum, quia fuit ejus injusta causa; oppositum tamen etiam est probabile, si nempè utrimque fuit par periculum perdendi, & lucrandi, tunc enim lusus in se videtur esse justus, & damnum non tam sequi ex coactione, quàm fortuna colludentis; hoc apud omnes indubitatum est, quòd coactus ad lulum, si quid lucretur, illud retinere possit, quia ex sua parte nulla est injustitia. *Sanch. Less. dub. 2. n. 9. Salas dub. 6. n. 2.*

Tertia conditio est: Ut in lusu absit omnis fraus & dolus in tali lusu non permissus; ejusmodi fraus est chartas notare, abscondere, speculaliter disponere, ut chartas alterius videas, fingere se imperitiorem, &c. hujusmodi fraudibus utens non tantùm tenetur restituere lucrum; quod



ipse fecit, sed etiam lucrum, quod alter absente dolo facturus fuisset pro rata scilicet spei; econtrà si fraude utens perdat, poterit innocens id tutâ conscientia retinere, quia ex sua parte ludus est justus; dolus autem in lusu permissus, aut potius astutia tunc est, quando simulas te habere deteriores chartas, aut simulas metum, ut alter sponsonem augeat, vel econtrà audaciâ tuâ sponsonem augendo facias alium à sponsonem desistere, aut si ex alterius negligentia chartas ejus videas, &c. in dubio, an dolus sit justus, standum est arbitrio viri in tali lusu periti, *Covarr. Medin. Lug. d. 31. à num. 33.* Si advertarius erret contra se in numerandis punctis, vel in accipiendo primo loco, non teneris monere, saltem si ita habeat ludi consuetudo. *Less. Sanch. l. 1. conf. c. 8 dub. 12.*

8. Quarta conditio est: Ut sit æquale periculum perdendi & lucrandi inter ludentes, hoc est, ut sit æqualis peritia, & exponatur æquale pretium; vel si quis sit altero peritior, debet plus pretii ponere, vel per alias faventes conditiones majorem peritiam compensare, nisi alter juri suo resignet. sicut omnes resignare probabiliter docent *Covarr. reg. peccati §. 4. num. 6. Tolet. Nav. c. 20. num. 18. Tamb. lib. 8. tr. 2. c. 9. §. 1. num. 4.* Eo ipso, quo spontè, hoc est, fraude vel metu non adacti ludant, sive sciant, sive non sciant alterius majorem peritiam; sibi enim imputent, quod cum eo, cujus peritiam perspectam non habent, ludere velint. Si autem unus sit quasi certus de lucro, aut simulet se imperitum, ut idiotam ad ludum inducat, restituere tenetur lucrum, quia talis ludus est injustus; in ludo enim erga periculum perdendi emitur spes lucrandi:



crandi: ſi ergo ſpes lucrandi ſit quaſi certa, nul-  
lum erit perdendi periculum: ideóque aperta in-  
æqualitas in luſu. Idem probabilius tenet de  
ſponſione, ut certus de eventu non poſſit ſpon-  
ſionem lucrari, niſi fortè alter dicat ſe eſſe cer-  
tum; tunc enim *Cov. Nav. Dian. Lopetz Sanch.*  
*dub. 13. num. 9.* dicunt, alterum reſignare ju-  
ri ſuo; ſed & in hoc probabilius contradicunt  
*Filliut. Molin. Lug. num. 81. La Croix num.*  
*1068.* quia alter putat tibi id non eſſe fatiſ ſe-  
rium, & emis ſpem lucrandi erga periculum per-  
dendi, quod tamen non adeſt, ſicut ſi alter à te  
emat vitrum pro gemma, etſi dicas eſſe vitrum,  
non tamen poteſ accipere pretium gemmæ, ſed  
vitri, neque alter reſignat juri ſuo; quia, ſi cer-  
tò crederet eſſe vitrum, non daret pretium gem-  
mæ: ergo dat invitus.

Ex dictis pro ulteriori reſolutione Caſus de-  
duces ſequentia: 1. Mævius certus de non fu-  
turo matrimonio Cajæ cum Titio non poteſt cer-  
tare, quia non eſt æquale periculum perdendi, &  
lucrandi; ſi tamen tres vel plures haberent  
ſpem probabilem ſibi deſponſandi Cajam, po-  
teſt cum quolibet ſeorſim certare, quamvis cer-  
tus ſit, quòd cum uno tantum poſſit perdere, à  
cæteris autem certò ſit lucraturus. Ratio eſt,  
quòd nemini faciat injuriam, quilibet enim ſeor-  
ſim habet ſpem probabilem perdendi & lucran-  
di, *Sanch. Lug. n. 87.*

2. Omnes luſus, qui magis fortunâ, quàm  
induſtriâ reguntur, ut alearum & ſimiles, tam  
Jure Canonico, quàm civili ſunt prohibiti; lai-  
ci tamen has leges non obſervantes non viden-  
tur peccare mortaliter, quia quoad ipſos ejuf-  
modi leges non ſunt in tanto rigore receptæ. *Sa-*



las. *Less. c. 26. dub. 1. Tamb. l. c. Lug. à num. 9.* Econtra arctius ad non ludendum obligantur Clerici & Religiosi, per *Trid. sess. 22. c. 1. de refor.* Non tamen statim damnandi sunt mortalis, nisi frequenter, nimis sumptuosè, aut publicè cum scandalo populi aut gravi statûs sui dedecentia ludant.

11. 3. Qui aliquid lucratur lusu prohibito, tutâ conscientia id retinere potest, quia jura non invalidant contractum, sed tantum præcipiunt restitutionem fieri post sententiam Judicis, *Bannes, Soto, Less. d. 3.* Econtra qui lusit ad creditum & perdidit, potest se tueri exceptione legis prohibentis, *Less. Nav. Lug. num. 70.* nisi juraverit se soluturum; tunc enim contractus firmatur, obligatque jure naturæ & civili. Si fictè mineris eum convenire coram judice, & alter aliquid det, ne in judicio repetas, id justè retinere potes, quia reverà habes jus repetendi, cui juri cedis, quod est pretio æstimabile, *Spor. num. 82.*
12. 4. Qui ludit animo nunquam solvendi, si quid lucratur, restituere debet, quia decipit in materia substantiali, nisi alter hoc sciat, aut etiam habeat animum non solvendi, tunc enim injuria per injuriam compensatur. Si ludo prohibito ludas animo quidem te obligandi, sed opponendi exceptionem legis alearum vel solum repetendi, ludus est justus, quia habes animum utendi jure tuo, quod & alter facere potest, & voluntas implendi contractum non est de essentia contractûs, *Lopez, Victoria, Sanch. dub. 5.*
13. 5. Si lucrum ex lusu prohibito perceptum à te repetatur, & tu coram judice neges te esse lucratum,

tum,



tum, vel lege prohibente lusisse, teneris nihilominus restituere, quia fraude, seu mendacio impedis, quò minùs alter per sententiam iudicis recipiat, quod justè petit; si tamen alter nec semiplenam habet probationem, non teneris fateri, nec quidquam restituere, quia tunc mendacium non impedit sententiam iudicis, sed defectus probationum, *Molin. d. 514. Dian. r. num. 27.*

6. Qualiter peccent, qui taxillos, chartifolia & similia instrumenta absque gravi causa subministrant ad lusus, ex quibus prævideantur blasphemix, perjuria, rixæ, fraudes, dilapidationes, dixi *Cas. 20. à num. 9.* Unde à potiori constat peccare mortaliter eos, qui blasphemare vel pejerare solitis colludunt; imò *Tamb. & alii* dicunt, non tantùm collusores, sed & instrumenta præbentes in defectu ludentium teneri ad restitutionem, si fraudes vel aliæ injustitiæ ibidem contingant. Idem tenet de Principe absque gravi causa lusus noxios permittente. Si dicas: Princeps licitè potest permittere domos publicas meretricibus, imò tali casu licitum erit etiam privato ejusmodi domos meretricibus elocare: ergo & permittere potest domos publicas lusoribus, quamvis in iis sciantur fieri plura peccata &c. *Tamb. sup. num. 31. N. C.* Faciliùs homines se temperare possunt à lusu, quàm à carnis voluptatibus, & majora mala reipublicæ timentur, si prohibeatur meretricium, quàm si domus lusoria: ergo major est ratio hoc, quàm illud permittendi.

7. Ludere in Ecclesia lusum ibi specialiter non prohibitum est tantùm veniale; exponere spiritualia ad lusum eâiv. g. conditione, ut victus tenea-



teneatur orare quinquies Pater & Ave , audire vel legere Missam pro defunctis , juxta *Lopez.* est mortale, consentit *Lug. num. 5.* Si alter exponat aliquid temporale , v. g. stipendium solitum vel etiam plus , alter verò Missam , quia putat tunc esse periculum simoniæ ; sed id melius negant *Rodrig. Steph. Dian. r. 41.* apud *La Croix num. 1096.* Nam non ideo res spiritualis æquiparatur temporali , sicut non æquiparatur si Missa legatur pro stipendio , sed offertur executio spiritualis loco temporalis alioquin tradendæ.

## C A S U S L X.

### De Contractu societatis, Affecuatione, Fide-jussione, Pignore, Hypotheca.

**N**enius dat Cajo suas pecunias pro communi lucro ad negotiationem , affecurato capitali , item vaccas cum obligatione de qualibet annuò dandi vitulum servato numero integro. 1. Solutâ societate negotiator ob impensam frustra operam aliquid de sorte retinet. 2. Fide-jubet , erga pretium , etsi non sit periculum , exposit creditori aliquid offert , ut se à fide-jussione liberet 3. 4. Antè sententiam solverè renuit , eò quòd plures , inter quos mulier, Prælati, Religiosus, &c. fide-jusserint , & debitor impetrârit prorogationem , vel sua bona dilapidare incipiat. 5. Merces Caji affecurat , quas ex privatis litteris jam novit esse extra periculum. 6. 7. Affecurat mille , cum ipse tantum habeat 500. 8. Pignora & hypothecas alienat,